

Cum igitur culpa originis supponat actualem transgressio-
nem in eo a quo transfunditur, dicendum primo erit de illa
transgressione secundum quod personaliter ad protoparentes
spectat (art. 1), dein vero secundum quod communiter
humanum genus afficit. Id autem investigari poterit vel
quoad primi peccati traductionem (art. 2), vel quoad traduc-
tionis extensionem, sive ex parte principii, querendo scilicet an
alia peccata preter primum traducantur (art. 3), sive ex
parte termini, proposito dubio utrum peccati traductio omnes
homines attingat (art. 4).

ARTICULUS I.

Utrum et quomodo primi parentes peccaverint.

De peccato protoparentum personaliter sumpto plura edis-
serunt auctores, maxime vero S. Thomas (II-II^e, Q. CLXIII-
CLXV) et Bellarminus (de Amiss. gr. et St. pecc. l. III),
quae nos compendiosiori stylo proponemus.

Quæri potest : a) primo, num protoparentes vere pec-
caverint, cum nonnulli id temerarie negasse referantur;
b) secundo, quamnam peccati speciem admiserint, de quo
non una opinio fuit; c) tertio, quænam fuerit peccati illius
gravitas. Quibus respondebimus tribus conclusionibus.

Conclusio 1^a. — VERE PRIMI PARENTES PECCAVERUNT, NEQUE
INCONVENIENTER DEUS ILLOS TENTARI AC LABI PERMISIT.

1^a Pars fide nititur ex *Conc. Trid.* (Sess. V, c. 1): “Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in *Paradiso* fuisse transgressus, statim saeculitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam prævaricationis hujusmodi iram et indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, et cum morte captivitatem sub ejus potestate qui mortis deinde habuit imperium, hoc est diaboli, totumque Adam, per illam prævaricationis offensam, secundum corpus et animam in deteriorius commutatum fuisse; A. S.”

Sane 1^o legimus (Gen. II, 16-17): Præcepitque ei dicens:

S. Scriptura —